

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Praefatio

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

Præfatio

Varii iam hac nostra ætate prodire et adhuc prodeunt
Spirituales libri, quorum ope anima Christiana per quotidi-
ana pietatis exercitia suo in Deum et Sanctos fervori
abundè satisfacere potest. Quædam tamen inveniuntur, qui
ut oporteret mentes penitus erudiant simul et illuminent,
conscientiam mundent animumq; roborent nec non animam
inflament, supra seipsam evehant ac Deo prorsus conjun-
gant. Hunc in finem præsens pietatis opus, quod breviaz-
rium hominis Christiani nuncupare placuit, in quod
quidquid ad excitandum, mundandum, illuminandum,
roborandum, ac deniq; cum Deo penitus conjungendum
Spiritus humani magis idoneum visum est, congesimus.
Sanè vera pietas non in recitatione multarum et proliza-
rum precum consistit, sed in iis duntaxat exercitiis, quibus
profectus spiritualis ac sanctioris vitæ præsidia nobis
comparamus.

Ad ea autem imprimis conferre Psalmos Davidicos, ut pote
à Spiritu Sancto inspiratos S. Patres ultro testantur,
nemq; est, qui id diffiteatur; unde in eo toti fuimus, ut hoc
pietatis opus nostrum his sacris Regii Prophetæ hymnis ubiq;
velut inspersum ac tanquam flammulis quibusdam succen-
sum exhiberemus. Verùm quia animadvertimus psalmo-
rum obscuritatem pietati ac fervori magnum esse obsta-
culum, atq; hanc ob causam hos omnibus coelestibus
bonis refertos thesauros à plerisq; in exiguo admodum

haberi pretio, imo prorsus negligi; hinc ut incommodum istud
 e medio tolleremus, necessum existimavimus, obscura psalmo-
 rum illorum, quos adduximus, loca notis quibusdam
 juxta S. Patrum probatorumq; Ecclesie Doctorum men-
 tem illustrare. Porro hoc Breviarium in quinque par-
 tes divisimus; pramissisq; per modum introductionis piis
 exercitiis matutinis et vespertinis. In prima parte ea
 exhibentur exercitia, quibus anima ad penitentiam
 excitari, conscientiam suam mundare, ac delicta sua
 expiare valet, ad hoc enim christianus homo, qui ^{an.} in
 - quitatibus conceptus est, et saepe erravit sicut ovis, qua
 perit, cunctas vires intendere debet, ut declinet a
 malo, et toto animo se convertat ad dominum Deum suum.
 Verum quia non sufficit declinare a malo aut exuere
 veterem hominem, nisi faciamus bonum, et induamus
 novum, qui secundum Deum creatus est, in sanctitate
 et justitia, atq; adeo officii justitiae christianae exaequo
 incumbamus; Atque secunda pars ea exercitia in se re-
 cludit, quae ad illuminandam mentem et spiritum
 in virtutum exercitio conservandum magis congrua
 censuimus. Quis minus vero vita spiritualis debili-
 tetur, aut deficiat, in parte tertia ea suppeditamus
 pietatis studia, quibus anima in bono stabiliri, et
 adversus mala hujus mundi, aut tentationes diaboli
 constans, fortis, ac imota permanere valet. At quia devota
 anima, cui incumbit, ut eat devirtute in virtutem

V

et ascensiones in corde suo disponat, etiam ad viam univ-
ersam ascendere debet, idcirco pars quarta varias aspi-
rationes ex contemplatione attributorum Dei desumptas
in se complectitur, quibus anima cum Deo suaviter con-
jungi valeat, ut dicere possit: in pace in id ipsum
dormiam et requiescam. Dum autem istis exercitiis
ac piis studiis dediti vivimus, tandem ad vitæ metam
properamus, et quia tota hominis Felicitas à bona ac
felici morte pendet, qualis enim mors, talis sors, hinc
quintam partem addidimus, ubi pia subministrantur
exercitia, quibus anima morti propinqua ad eandem
fortiter subeundam animatur, et ad beatè moriendum
disponitur. Et hoc ordine ac methodo arbitramur, nos
complexos esse, quidquid ad exercitium christiæ probi-
tatis, ac pietatis, atq; ad profectum, nec non ad aeternam ^{& spiritualis}
felicitatem consequendam desiderari potest. Atq; ut omnes ^{vite promovendū,}
qui christiano utuntur nomine, hoc nostro labore utiliter
frui possint, ferventer exoptamus.

Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a historical document or manuscript page.

Handwritten text or signature located on the left side of the page.